Quelle: https://manuscripta.at/?ID=911
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

illius abbatis. et ipse pater monasterii quecumque tibi dixerit
hoc debebis facere. Revelavit autem deus etiam patri
monasterii dicens. Ecce ille monachus qui in vici-
na heremo habitabat venit ad te. Vide ut dicas
ei quatinus accipiat flagellum. et mitte eum ut
pascat porcos. Cum autem venisset senior pulsavit
ostium monasterii. et ingressus est ad patrem monas-
terii. Cumque ad alterutrum sibi pacem dedissent. facta ora-
tione dixit heremita ad abbatem monasterii. Dic
mihi pater. quid me oportet facere. ut salvetur anima mea.
Tunc dixit monasterii pater. Si quid dixero. obaudis
ut facias. At ille respondens ait. Quecumque mihi precepe-
ris domine. facio. Dixit ei abbas. Accipe istud fla-
gellum. et vade pasce porcos. Statim autem egres-
sus. pascebat porcos. Quam plurimi autem homines
qui eum beatum pro sua conversatione credebant. videntes
eum porcos pascentem dicebant. Ecce heremita ille
de quo magna opinio erat. amens factus. porcos
pascit. Videns autem dominus humilitatem. et primitiam obe-
dientie eius ac patientiam quia sustinuit obprobria.
et subsannationes hominum. effudit super eum lar-
gam gratiam suam. ut etiam demones eum contremiscerent.
reversusque est in heremum ad cellulam suam.

Quodam tempore cum ad beatum
Macharium quidam venisset desiderans in